



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo accipiendum sit, quod dicitur: Deus complesse opus suum  
septima die, cum tunc quieuerit. G

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



que nunc operatur, ut quod condidit, continere & gubernare non cesset.

*Qualiter accipiendum sit quod dicitur Deus complese opus septimo die, cum tunc requieuit ab omni opere suo.*

Sed quæritur, quomodo septimo die dicatur Deus complese opus suū, cum ab omni opere illo die requieuerit, nec aliquod genus nouū rerum fecerit? Alia translatio habet: Consummauit Deus die sexto opera sua: que nihil quæstionis affert, quia manifesta sunt, quæ in eo facta sunt, & omnium consummatio eo die perfecta est: sicut scriptura ostendit cum ait: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Omnia quidem naturaliter bona erant, nihilque in sui natura vitii habentia: & sunt bona quæ condidit Deus etiā singula. Simul vero vniuersa valde bona, quia ex omnibus consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo in qua etiam illud quod malum dicitur, bene ordinatum, & loco suo politum, eminentius commendat bona: ut magis placeat, & laudabilia sunt, dum comparantur malis. Sexto ergo die facta est operum consummatio. Ideo premissa oritur quæstio, quomodo dicatur Deus die septimo opus suum complese, quod Hebraica veritas habet: in quo tamen nihil nouum creasse dicitur, nisi forte dicatur die septimo compleuisse opus suum, quia ipsum benedixit & sanctificauit: sicut subiicit scriptura. Benedixit diei septimo, & sanctificauit illum. Opus n. est benedictio & sanctificatio. sicut Salomon aliquid operis fecit, cum templum dedicauit.

*Quæ sit benedictio & sanctificatio septima diei.*

Illum autem diē sanctificasse & benedixisse dicitur, quia mystica præ cæteris benedictione & sanctificatione eum donauit. Vnde in lege dicitur: Memento sanctificare diem sabbathi. Et inde est, quod

*Genes. 1. c.  
Aug. in En-  
chy. ca. 10.  
Tom. 3.  
Ibid. c. p. 11.*

*Hieron. lib.  
quæst. in ge-  
nes. ad illud  
Gen. 1. & cō-  
summauit  
Deus. tom. 3.  
Genes. 2. a  
2. Reg. 8. c.*

*Exod. 20. b.*